



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Annales Heremi Dei Parae Matris Monasterii In Helvetia Ordinis S. Benedicti**

**Hartmann, Christoph**

**Friburgi Brisgouiae, 1612**

Bvrcardvs I. A Crenchinge Ex Baronibvs Vissenbvrgi Abbas Heremitarvm  
XXX. Princeps Imperii Decimvs Tertivs.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38545**



**BVRCARDVS I. A  
CRENCHINGE EX BARO-  
NIBVS VISSENBVIRGI ABBAS HERE-  
MITARVM XXX. PRINCEPS IMPE-  
RII DECIMVSTERTIVS.**

*A.D.N.*  
*CIO. CD.*  
*XIX.*



**B**VRCARDI prima cura fuit, tamquam princi-  
pale munus, conferendi sui monasterij bona, &  
præfecturas fiduciaras. Itaque x. kalend. Apri-  
lis anni decimi noni primo præfecturam Frisæ  
contulit beneficio Volfio Brandisio baroni: vi. Kalend. eius-  
dem Maioratum Aeschentij Ioanni im Hoff cui Constan-  
tienti: viii. Idus eiusdem mensis Maioratum Caltbrunnæ  
Osvaldo à Lato. Eodem die, beneficio ab eo accepit  
turrim Caltbrunnæ, & illi adiuncta Vlrucus à Vvindeck.

His factis,

His factis, controuersias quas cum suis subditis Heremi incolis ipse, antecessoresque habuerant, componere aut iure, aut ex æquo & bono constituit. Eæ erāt maximè iura mancipatus, quæ sibi vindicabat, & pignorationis, quam refutabant subditi, postremò & pascuationis. Cum per se partes conuenire non possent, ex compromisso litem determinare decreuere. Sumti vtrimque arbitri. Abbatis nomine iudicauere Iacobus Glenter exconsul Tigurinus, Felix Mannes, Ioannes Stapffer officialis Feficonis: Incolarum, Vlricus ab lberg ex officialis, Ioannes Sigist, & Ioānes Vintz, Suitenses. Qui supremum arbitrium ferret, si dissiderent hi sex arbitri, lectus vtrimque Itelius Reding officialis Suitensis. Hi vigilia beatorum Apostolorum Petri & Pauli, eodem anno, conuenientes, in hanc formam decreuerunt. Iura omnia mancipatus vt ab antiquo, ita nunc quoque, & in posterum abbatum, & monasterij sint, & permaneant, secundum priuilegia, iura & hætenus obseruatum morem. Excipiunt tamen arma bellica, lectos cubiculares, & quæcumque ad eos pertinent, & postremo fæna, quæ in abbatis electionem, post mancipij obitum, venire non debent: ex reliquis eius bonis quam eumque voluerit partem Ius habere. De pignore ita censuerunt, abbatem ex subditis neminem, nisi volentem, pignerare posse, aut debere. De locis pascuis, eorum locationes abbatis liberas esse, de ijs, vt libet, constituere licere. Conuentum secundum ijdem arbitri agitarunt v. Nonas Octobris sequenti, vbi de Heremi hospitibus, eorum iure, conditioneque censuerunt, itemque de venditionibus, & emtionibus, de ædificijs, & ænopolijs, lignorum decumis, & iudicijs, omnia ex æquo, & bono, & vtriusque partis commodo. Annus sequens expeditione Cæsaris aduersum Boemos Hussitas, & eorum ducem Ziscam, itemque insolita maturitate frugum, pernobilis fuit. Ineunte Aprilis locis per Heluetiam plerisque repertæ rosæ, medio cerasa vndique, & fraga, eodem quoque mense effloruere vites, magna, & præcipua fertilitate, & omnium rerum copia. Eodem anno, concessit Burcardus abbas Culinæ Principalis of-

ficium siue

A. D. N. 7

CI D. CD.

XX.

A. D. N.  
CIC. CD.  
XXI.

ficiū siue magisterium Heinrico Meis Burgimagistro Tigurino, illique priuilegium eade re dedit. Anno vicesimo primo confirmauit præfecturam, quam Domus Vedisvillana D. Ioannis Hospitalis habebat super Monasterij subditos inter Mulibach, & Merilembach sitos. Decisa præterea lis quæ per ānos plurimos inter abbates & nobiles ab Hunuill tenebat, propter præfecturam, & iurisdictionem Kempstæ ad quā antiquitus pertinebant pagi Adoltzuuill, Blicksvvyl, Berolsvill, maior, & minor, Ringsvvyll, Hunduuyll, Erlose, Vetzico, vtriusque eam sibi vindicantibus: Hundvillanis, tamquam pignore ab Habsburgi Comitibus acceptā Abbatibus tamquam proprietate suam nec vlli nisi eorum consensu, pignorationi obnoxiam. Sed hoc tempore capti vtriusque arbitri, Hermanni ab Hundvilla nomine, & liberorum nobilis à Griffenberg, & quietiam partem petebant, Ioannes à Bonstette eques, & Hermannus, à Breitenlandenber: pro Burcardo abbate arbitrati sunt Petrus Orinus, & Ioannes Vvalterus. Et Hundvillani quidem arbitri, quia Hermannus instrumentum ostendebat, quo patrem, auum, proauum eandem præfecturam habuisse probabat, neque scripti quidquam contra abbas ostendebat, litem ab eo abiudicare, tantisper donec iure euinceret. Eandem sententiam secutus communis arbiter Ioannes Homburgius prætor Rapersvillanus. Neque tamen præfecturam Hundvillanus obtinuit, ad ius, quod vtrique parti reseruauit arbitri, provocante abbate. Eodem anno auxilia Helucij contra Bohemos hæreticos Imperatori mense Augusto misere, quorum maximè opera, & fide vsus est. Anno vicesimo secundo, Henricus baro Montfaxius Bilitionum ducis Mediolanensis opidū, quod Dux promissæ, & debitæ pecuniæ deluderet, per insidias occupauit. Et cum retinere posse diffideret Vranijs & Siluanijs vendidit, fædus quoque cum ijs fecit. Id non minus ægrè ducem adfecit. Itaque eandem fraudem ingressus opidum non multo post recepit, præsidiumque firmum imposuit. Vranij confederatos Lucernenses, & Tigurinos præcipuè invocarunt, magnisque itineribus Bilitionum tetenderunt. Dux insidias collocavit in quas cum fœderati incidissent,

A. D. N.  
CIC. CD.  
XXII.

incidissent, multis eorum interfectis, incerta deniq; diu victoria penes eos remansit. Secuta inde plura, & atrocia transalpes bella. Anno vicesimo tertio incunte Tigurini & Bernates perpetuo se fœdere singulatim coniunxere. Pestilentia per Heluetiam vniuersam atrox, & violenta, quæ tantum Tiguri pene tria millia sustulit, alibi haut minori numero grassata. Anno vicesimo quarto misere Suitij ad Cæsarem Sigismundum Budam in Hungariam legatos, qui ostenderent ipsum, bello Austriaco postremo, quod eius auctoritate & iussu contra Fridericum ducem gesserint, scripto pollicitum, & per legatos, quæcumque eiusdem ducis Dominia occuparint, habituros in posterum, fruiturosque, præfecturam, quidem se iurisdictionemque incolarum Heremi, pace vicennali ante plures annos ab Principibus Austriæ accepisse: Aduocationem tamen Monasterij semper duces retinuisse. Eandem aduocationem, eodem bello postremo, in suam potestatem quoque venisse arbitrari, rogare illam suo diplomate confirmare Suitiorum communitati dignaretur. Annuitque Cæsar rescripto, quo & aduocationem Monasterij & præfecturam Incolarum Heremi ipsis confirmare & stabilire fatebatur, quam confirmationem postea reuocauit, & fraude impetratam testatus est. Anno vicesimo quinto tres Communitates, Vrania, Suitia, Siluania cum vna aliorum confederatorum legione rursus Alpes transcenderunt. Bilitonem cum attigissent, nec hostis copiam sui faceret, proximas valles cæde, & flâma peruastarunt. Anno vicesimo sexto. Petijt ab Martino pontif. Burcardus abbas, vt ante Lucæ sacris suo in Monasterio operari liceret. Cōcessit beniuolens pōtifex amicè, & speciali gratia his modis, & conditionibus vt id sub ipsam tamen lucē, negotij sexigentibus, & raro fiat, ratione addita, *quia cum altaris officio imoletur dominus noster IESVS CHRISTVS DEI filius, qui candor est lucis æterna, congruit hoc nō noctis tenebris fieri, sed in luce.* Bullæ principiū *Martinus. ꝛc. Datum Roma apud SS. Apostolos, v. Nonas octobris pontificatus anno decimo.* Paucis post hebdomadis cōfirmavit idem pontifex, rogatu eius

A. D. M.  
CII. CD.  
XXIII.

A. D. M.  
CII. CD.  
XXIV.

A. D. N.  
CII. CD.  
XXV.

A. D. N.  
CII. CD.  
XXVI.

dem Burcardi omnes Monasterij Heremitarum libertates, & immunitates à prædecessoribus suis Romanis pōtificibus siue per priuilegia, vel alias indulgentias eidem monasterio indultas. Nec non libertates, & exemptiones seculariū exactiōnum à Regibus, principibus, vel alijs Christi fidelibus rationabiliter præfato monasterio concessas, vti eas iustè ac pacificè obtinent. Indignationem omnipotentis & beatorū Petri & Pauli Apostolorum eius interminatus omnibus hanc suam cōfirmationem infringere, aut ausu temerario contraire tentantibus. *Romæ vi. Idus Decembris, pōtificatus eius anno x.* Eodem anno emit abbas Burcardus ab Vlrico juniore barone ab Clingē mediam partem præfecturæ, & Dominij AEschentij cum omni eius iure, & iurisdictione octingentis quadraginta libris, quas præsentī pecunia exsoluit, totamque hoc pacto AEschentij Dominationem sibi, & suo monasterio vindicauit. Anno vicesimo septimo multa quæ controuersa erant Burcardo cum Tugijs præsertim, propter vicum Nuhejm permissa arbitrio quatuor virū. Pro abbate fecere Iacobus Glenter burgimagister Tigurinus, & Itelius Reding officialis Suitensis: Pro Tugijs Ioannes Seiler, & Rudolfus Schel ciues Tugienfes. Summum arbitrium inter dissidentes datum Heinricho Meisse exburgimagistro Tigurino. Eorum arbitratione decretum, Nuheimensium sacramētum quod abbatibus tamquam Monasterij mancipia faciunt, præcedere illud iurandum quod Tugijs veluti eorum ditionis factitare solent. Anno vicesimo octauo, externa cum eo, quem diximus, modo Burcardus ex parte composuisset, ad res quoque monasterij sui animum aduertit, & præcipua officia, petita, & audita consiliariorum suorum sententia, in nobilissimos qui aderāt monachos distribuit. Richardo ex baronibus à Falckenstein Custodis munus impertiuit. Rudolfo è Comitibus à Saxo Camerarij; Geroldo fratri eius Cātoris, & Cancellarij officia iniunxit: Franciscum è baronibus ab Hohenrechberg præposituræ Faræ præsidere iussit, multis omnes cōditionibus

A. D. N.

CIX. CD.  
XXVII.

A. D. N.

CIX. CD.  
XXVIII.

quam

quam Eschentij emerat nuper præfecturam, itemq; S. Geroldi præposituram, sibi retinuit, tamquam ruinofam, & quam ex reditibus ad eam pertinentibus restituere, & ædificare cogitaret, ex qua tamen, pro arbitrio eorum, quos ad eam rem legissent, illis aliquid daturum pollicitus est. Lecti Reinhardus Stabler parochus Vfnauigiæ, Ioannes Stapfer officialis Feficone, Vlricus Fasnacht, & Cunradus Georgius cellarius monasterij, qui anno sequenti iudicarunt, abbatem Burcardum modios tritici octo, & totidem vini amphoras dare quotannis illius præposituræ nomine debere. Et is se facturum spondit. Cætera ex iisdem officijs emolumenta omnia ipsis reliquit, addita conditione, si rectè, & ex Monasterij dignitate & cōmodo, administrarent: secus in sua futurum potestate, tamque Principis, et antistitis alios substituendi, ipsos officio, & emolumento priuandi. Anno tricesimo. Audito Cæsarem Sigismūdum ad Germaniæ superiora venisse, vt in Italiam transfiret accipiendæ Imperialis coronæ, & Vberlingæ agitare, ad eum Burcardus Rheinhardum Stablerum suū capellanū legauit, qui cur ipse ad suam Maiestatem nō adisset, ostensis, quibus premebatur, negotijs, excusaret, simul ab ipso priuilegiorum, beneficiorumque monasterij confirmationem peteret. Cæsar, excusatione accepta, et pensitatis quæ Burcardi prædecessores abbates ipsi, Imperioq; seruitia exhibuissent, & quotidie idem Burcardus exhibeat, impostetumq; exhibere possit, ac debeat, in honorē DEIPARÆ MATRIS, & eiusdem Monasterij bonū, & firmamentū, peculiari sua gratia, & in idem Monasterium fauore, & adfectu, omnia eius priuilegia, regalia, feuda, iurisdictiones, iura et emolumenta, suo diplomate, Cæsarea auctoritate, confirmauit, quorum omnium fidem et obsequiū idem Reinhardus, vice abbatis Burcardi, publicè fecit, et præstitit. Burcardum Cæsari, et Imperio, tamquam Principem Imperij, fidum, et obsequentem fore iurejurando spondit. Præcepit hinc omnibus Comitibus, vexillarijs, nobilibus, equitibus, Fiduciariis, et officialibus, omnibusque reliquis ad monasterium nostrū pertinentibus, eidem abbati

A. D. N.

C15. CD.  
XXIX.

A. D. N.

C15. CD.  
XXX.

Burcardo, tamquā legitimo domino, in omnibus obsequantur, suam, & imperij indignationem interminatū refractariis & inobedientibus. Acta hæc Vberlingæ, festo die Lucie Virginis martyris, eodē quo supra anno, regni eius Hungarici XLIV. Romani XXI. Bohemici XI. Paucis post diebus, eodem Reinhardo procuratore, priuilegium paternum ne ad externa iudicia Heremita, & eorum subditi vocari possint, simul vt proscriptos, & patria extorres domo, & hospitio recipere possint, consideratis eiusdem Burcardi precibus, & laudabili DEI seruitio, quod in suo monasterio per vitam inculpatam, & spiritualem, quotidie & assidue exercetur, etiā confirmauit, rata & perpetua esse iussit suo rescripto, repetitis iterum, & innouatis omnibus Monasterij priuilegijs, regalibus, beneficijs, iuribus, instrumētisq; & dignitatibus, quas prædecessores eius Imperatores & reges impertiuere, aut alij Principes, domini, & Christi fideles. Neque id solum Sigismūds, regia potestate & Cæsarea præstitit lubens, & volens vltroq; sed quo sæpeditus Burcardus abbas, eiusque Monasterium, diuino cultui incumbere impensius, & absq; cura grauiori, pace & tranquillitate frui & potiri possint semper & in posterum, deliberata voluntate, bono & probi suorum consilio, & clara rei notitia, Abbatem Burcardum, Conuentū, Monasteriū, & omnes eorū subditos & annexos, bona vniuersa, & iura, & possessiones quocūq; loco sint, & nomine in suam, & imperij protectionē singularem suscepit, omnibus vtriusq; ordinis Principibus, Comitibus, Baronibus, equitibus, nobilibus, præfectis, & officialibus, omnibus Ciuitatibus, Urbibus, Cōmunitatibus, sibi, & imperio subiectis, & fidelibus in mandatis, regia auctoritate, dedit, suo ne huic decreto morā faciant, aut impedimēto sint, ceterū id cum fide, & cura tueatur & impleant, si suam, & imperij gratiā velint, si suam & Imperij iram, pœnamq; priuilegijs eiusdem abbatis & monasterij comprehensam, reformident. Acta in eadē Vrbe Vberlingenfi supra memorato anno, feria v. post Lucie. Non minus apud Sigismundum sollicitabat Burcardus, vt quas Suitensibus Budæ dederat aduocationis literas, an-

nis supe-



nis superioribus, eas uti irritas, & fraudulentas declararet, ostenso sui monasterij tutelam haut ad priuatum quēquam vel singularem Communitatem pertinere, sed Romani vnus Imperij esse, Cæsaremque solum aduocatū, eius beneficio, & commissu id ius primo Allemanniæ & Sueuiæ duces, postremo Austriæ Principes *Habsburgiæ* gentis obtinuisse. Et quamuis hi Dominia, quæ circa Heremū, & ijs partibus habuerant, ob vnus forte culpā, bello amiserint, non propterea Monasterij sui ad quod ea res nihil pertinuerit, iura & priuilegia in nihilum redacta, aut perditā, uæ ab vno Romano Imperio dependeant, & inde vim accipiant, quam amittere nequeant, nisi eo vnico euerso. Addidit ad hanc rem Burcardus intercessores ducem Brunsvicensē, itemque consanguineum suum loānem Lupoduni Comitē quem Cæsari acceptum sciebat, Casparum quoque à Clingenberg, & nōnullos alios Aulæ familiares, & apud principē gratos, & non minus in vulgo fauorabiles. Horum opera, & assiduo sollicitatu, quæcumque petebat Burcardus haut difficulter impetrauit, promisitque Cæsari cum ad huc Vberlingæ hæreret, iura, & dignitatem Monasterij sibi curæ fore. Anno tricesimo primo Martino x. Kal. Martij defuncto successit Eugenius quartus. Is continuo Cardinalem Iulianū, quem in Germaniam legatum Martinus miserat, & Concilio Basiliensi, quod proximè, Senensi Concilio, decretum erat, præsidere iussit, & eius initium sollicitare. Factum id postremo x. Kalend. Augusti sequenti. Eius præcipua materia contra Hussitas, qui in Bohemia, & vicinis prouincijs, per multa fœda, & impia facinora grassabantur, tum & corrigendis Ecclesiasticorum iuxta, & laicorum corruptis, & collapsis moribus. Ceterum Cæsari institutis per Germaniā quæ ad Concilij promotionem, decus, & securitatem facere videbatur, auctumno jam adulto, Vberlinga ad Campum S. Petri, succendit, ut, Iulij alpibus, in Italiam descenderet. Dum apud Campum aliquot dies insumsit parandis expeditioni necessarijs ad eum iterum Burcardus abbas misit, qui promissi Vberlingæ priori anno facti admoneret, Heinricum Muderlinum, cū antea

A. D. N.  
 1170. CD.  
 XXXI.

A. D. N.  
CLO. CD.  
XXXII.

ad ipsum quoque eandem ob causam per eundem Muederlinum scripsisset. Cæsar auditis denuò, quas abbas demonstrabat, rationibus, relectoque, quod Suijjs concesserat super aduocatione, priuilegio, illud de consilio, & approbatione vtriusque ordinis Principum antiquauit, cõtraque Monasterij iura, priuilegia, instituta, & consuetudines datum, & concessum pronunciauit, eadem Heremitarum iura & priuilegia de nouo confirmauit, & perpetuo valere iussit, regia auctoritate. In eodem campo d. Petri feria II post commemorationem vndecim millium virginum Anno eodem Tricesimo primo. Hungarici regni XLV. Romani XXII. Bohemi XII. Anno Tricesimo secundo petitione etiam & precibus abbatis Burcardi Eugenius Pontifex, intellecto propter ea quæ ad capellam DEIPARÆ Loci Heremitarum plurima Dominus, vt piè creditur, ipsius Virginis meritis operari dignatus est miracula, nec non pro fortiedis, quas inibi felicitis recordationis LEO papa VII. gratiosè concessit, Indulgentiarum muneribus, ingentem vtriusque Sexus Christi fidelium confluere multitudinem, vt earumdem fidelium deuotio inibi feruentius inualescat, ac animarum salus huiusmodi per amplius propagetur, ipsique fideles dictarum Indulgentiarum magis capaces efficiantur, indulgit Apostolica auctoritate, vt ipse Burcardus, eius successores Abbates Heremitarum, nec non idonei per eos deputandi sacerdotes seculares vel regulares, in proximum decennium possint liberè, & licitè quorumcumque fidelium ad ipsam Capellam & Ecclesiam confluentium confessiones audire, eisque ab omnibus peccatis, nisi talia fuerint propter quæ Apostolica sedes merito consulenda existat, absolutionis beneficium impendere, nec non Eucharistiæ, & alia Ecclesiastica sacramenta ministrare. Bulla Romæ edita v. Idus Martij pontificatus anno secundo. Eodem anno, quia Concilium multis ex causis Bononiam Eugenius transferre conabatur, plura cõtra eum ab patribus qui contra nitentur, decreta, citatusque ipse ad causam coram Concilio dicendam aliquotiens. Neque primo cum Sigismundo satis conueniebat, quæ causa fuit cur tardius ad Urbem peruenerit. Sed pace facta, cum

sub si-

sub finem Mai sequentis anni Romam ingressus esset, ab eo Imperialia ornamenta accepit pridie Kalend. Iunij festo die Pentecostes. Adjunxerant se Cæsaris Comitatu eius petitione multi ex Heluetia primores viri. Sed abbas Burcardus, Tigurinique, & nonnulli è Confederatis alij legatos quoque ad Eugenium, ea occasione, destinarunt, qui rogarent, vti apographo bullæ Leoninæ, quòd Henricus Constantiensis episcopus in Heremo educatus, abbasque factus, qui proinde eius omnis antiquitatis diligentissimus fuit habitus, confirmaret, & veluti legitimum, & certissimum publicari, tota sua dioecesi iusserat, suam quoque auctoritatem adjungeret, & indulgentias in eo comprehensas & ab Leone liberaliter, & merito concessas confirmaret, & ratas, & perpetuas haberet. Eius cum se rei certam notitiam, absumto, vti fatebantur, in cendijs originali, non habere Eugenius respondisset, ne tamen eorum desiderijs obsistere velle videretur, Episcopis Curiensi, & Ceruensi commisit, & in mandatis dedit, quatenus de memoria literarum dicti Leonis prædecessoris ac de transumpto Henriciano eiusque legalitate, quantaque fides sit eidem adhibenda, Nec non Indulgentijs huiusmodi tam per testes quàm per publicam famam, ac de visu, & per alia sufficientia documenta instructi & edocti se certiore redderent quantocius, vt eorum ex literis veritate cognita possit deliberare quid cum DEO & salute fidelium sit ipsi monasterio concedendum. Literæ ad prædictos Episcopos sunt datæ Romæ viii. Kal. Iulij, pontificatus anno tertio Non minus interea Concilij patres Eugenium citabant accusabantque; at ipse haut quaquam his factis consternatus bullam contra Concilium vulgavit Idibus Septembris, qua magis, magisque patres exacerbati sententiam in Eugenium pronunciaffer, nisi Imperator, magnis itineribus, Roma Basileam adueniens distulisset i. v. Idus Octobris. Quamprimum Basileam venisse Imperatorem Burcardus accepit, nihil prius habuit, quam ad eum quanta maxime celeritate contendere, & priuilegiorum ab eo jam Imperatore confirmationem non solum petere, & obtinere;

A. D. N.  
CLO. CD.  
XXXIII.

sed etiam controuersiam, quæ de aduocatione cum Suiten-  
sibus supererat, eius auctoritate terminare. Annuitque ex-  
templo imperator quâtum ad priuilegiorum ratificationem,  
veteri, & multa erga eundem abbatem, & Heremitas pro-  
pensione, & gratia, eiusque Monasterij iura omnia, regalia,  
& priuilegia, possessiones, & feuda, non modo confirma-  
uit, sed ne in externa iudicia vocari possint, ipsi, & eorum  
subditi fanciuit, extorres domo, & exules retinere concessit,  
idque se facere ad seueravit iustis, & æquis precibus eiusdem  
antistitis Burcardi, & habita ratione diuini cultus, qui eo in  
Heremitarum monasterio, studio indefesso, cura, relligio-  
ne, pietate exhibetur, perpetuaturque. Denique abbatem,  
Conuentum, & omnes eis subditos, & connexos, quocum-  
que loco & vocabulo sint, in suam, & Imperij protectionem  
iterum recepit. Diplomate eadem Ciuitate Basiliensi edi-  
to feria vi. ante Lucie Virginis, & martyris, regni Hungari-  
ci anno XLVI. Romani XXXI. Bohemi XXI. Imperij I. Sed  
ad controuersiam de aduocationis Monasterij iure cognos-  
cendâ plures vtriusq; ordinis principes viros adhibuit. Inpri-  
mis fuerunt Guntherus archiepiscopus Magdeburgensis, Cun-  
radus Ratisbonensis, Petrus Augustensis, Ioannes Curiensis,  
Ioanes Misenensis, Nicolaus Lubecensis, Guntzo Olmuensis  
Episcopi: Gulielmus Palatinus Rheni dux Bauariæ, Ioannes  
Landgravius Leuchtenbergensis, Comes Holsij, Ludouicus  
Comes Oetingæ Cæsarii palatii præfectus, Ioannes Comes  
Lupodunensis, Landgravius Stuelingie dominus Hohen-  
naci, Gregorius Heimburgensis vi. D. Cunradi archiepisco-  
pi Moguntini electoris Vicarius & legatus, Albertus Varen-  
drappius iuris Canonici, & Henricus ab Erpelio ciuilibus iuris  
Doctores, Theodorici archiepiscopi Colonienfis electoris  
consiliiarii & legati: Georgius Gulielmus IC. & eques Fride-  
rici Marchionis Brandenburgensis consiliiarius, & legatus.  
Adfuerunt etiam Stephanus Cole Norimbergensium, Val-  
terus Schuartzenberge, Francofurtensium, & omnium  
Heluetiorum Confederatorum cum plena auctoritate lega-  
ti. Horum omnium in confesso actione instituta, & auditis

vtrunque

utrimque testibus, lectis & cognitis literis, instrumentis, priuilegijs, postremo pars vtraque Burcardus suo, & sui monasterij nomine: & Itelius Reding Suitensis officialis suo & suæ Communitatis, totius contentionis arbitrium Imperatori permiserunt, jure, an ex æquo, & bono sententiã vellet, in tegra facta potestate. Imperator de procerum, quos supra retuli, doctorumque, & legatorum consilio, ex æquo & bono sententiam tulit, præsentibus, & adstipulantibus partibus. Et primo priuilegium Budæ Suitensibus datum anno 1424. antiquauit; tum verò aduocationem Monasterij Heremitarum interiorem, & præfecturam exteriorem Suitensibus, eodem jure & emolumento concessit, quo possidere principes Austriaci, & uti ab Austriacis ad Suitenses peruenit, sicut ostendunt quæ super eare habent ipsi ab Principibus Instrumenta. Omnem vim, & vsurpationem, iniuriarumque, eam ob aduocationem, aut propter alia quæcumque ad eam pertinentia, prohibuit. Heremitarum priuilegia, & jura Suitenses non violaturos ipsos, aut eorum subditos non oppressuros, non detrimento, non molestiæ futuros vlllo modo, iuxta & secundum literas quas ijdem Suitenses abbati, & eius Monasterio, in harum rerum omnium fidem & testimonium imperientur, quibus literis pollicebantur Abbati, & eius successoribus, Monasterioque, & omnibus eius subditis & annexis, vim nullo vquam tempore facturos, aut contra eorum priuilegia, jura, vetera instituta aliquid molituros, sed eadem potius omnia sancta, & tecta habituros, & contra quoscumque fideliter, & beneuolenter defensores, et conseruatos. Addidit denique Imperator, neque se, neque Successores alium abbati aut Monasterio aduocatum hoc pacto daturum. Acta hæc Basileæ, die et anno supra memorato. Suitenses suæ aduocationis, & protectionis quas promiserant literas dedere anno sequenti, feria 11. Gregorij pontif. Hæc multis post diebus, cum ad huc esset Basileæ Imperator, postulauit ab eo Burcardus, ut præfecturas, & Dominia Richenburgij, Kempstæ, Aescentij, et bona, juraque ad eas pertinentia, quæ ipse antecessoresue acceperint,

A. D. N.

CIC. GD.

XXXIV.

aut emc-

aut emerint, sicuti Instrumenta testantur, in posterum etiam confirmaret, quod et solita in se et suos propensione Principis facile impetrauit, pridie Nonas Aprilis eiusdem anni quarti et tricesimi Hungariæ regni XLVIII. Romani x xiv. Bohemi xiv. Imperii i. Nono post die Dominica Misericordiæ eiusdem abbatis precibus, quas dederant Suitii ad-  
 vocationis, et protectionis literas reuidit, suoque diploma-  
 te non modo adprobavit, sed in id quoque eas inclusit, et  
 perpetuò valere et observari ab Suitensibus debere consti-  
 tuit, pœna indignationis suæ, et Imperii in delinquentes pro-  
 posita. Neque diu postea Basileæ Sigismundus moratus,  
 alia ob negotia ampliora, revocantibus in Hungariam Tur-  
 cis, et Hussitis in Bohemiam. Ratisbonam cum venisset,  
 Iulio mense, cum Bohemis colloquium habuit, eorum ma-  
 gnam partem in fidem accepit, et ad retinendum obsequi-  
 um pluribus animavit. Fine anni resignavit Otho episco-  
 patû Constantiensem, accepto annuo opulento honorario.  
 Lectus est Fridericus II. ex Comitibus Zolleranis, qui tri-  
 ennium non excessit. Erant hoc modo tres eodem tempore  
 viui Constantiæ episcopi, Albertus, Otho, Fridericus. Anno  
 tricesimo quinto, Bohemi tandem post varias agitationes  
 hæresis absoluti sunt, et in gremium Ecclesiæ recepti, insigni  
 Sigismundi Imperatoris opera, et pietate. Tugii III. Martii,  
 eodem anno, subsidente paulatim solo plateæ vnius, quæ  
 proximè lacum erat, ædibus viginti sex, præter plura alia æ-  
 dificia, turres, et mœnia vndis hauriuntur nullo pene sui  
 vestigio relicto, mortalibus pluribus absumtis, et in abyssum  
 raptis, excepto vnico infante, qui in cunis post varias, et lon-  
 gas vndarum evolutiones, et toto pene lacu exagitationes  
 postremo ad ripam, haut procul ab D. Nicolai facello, sal-  
 uus, cum magna omnium admiratione, et stupore, delatus  
 est. Cæteri ciues omnes ex opido per metum, et horribilem  
 fragorem, elapsi, in proximos colles profugerunt. Magna  
 et memorabilis miserabilisq; ea clades fuit. Anno sequenti  
 iacti belli Tigurini veteris semina morte Friderici Comitis  
 Toggenburgi suæ stirpis postremi, de quo quia ingentia

A. D. N.

CIC. CD.  
XXXV.

A. D. N.

CIC. CD.  
XXXVI.

Monaste.

Monasterio nostro & exitiabilia inde progenerata damna & detrimenta, & postremo magna cura Antistitum nostrorum & opera præcipua in abolendo eo & pacando fuit, pauca supra repetam. Fridericus igitur Comes Toggenburgi, & Vtznaci cum ex se procreatum heredem non haberet, apud Tigurinos ius Ciuitatis, apud Suitios popularitatis, obtinuit, quod non modo dum viueret, sed quinquennium etiam postquam defecisset cum suis subditis, & hæredibus valere voluit. Rogantibus verò Tigurinis, quem sibi hæredem iuberet, Elisabetham à Metsch Athesinam coniugem ostendit. Sed paucis ante obitum diebus, Suitensibus quos ideò ad se vocauerat, auctor fuit, cum suis subditis, postquam esse desisset, perpetuæ necessitudinis & confederationis ineundæ; Nulla de Tigurinis habita ratione, aut mentione, quibus ob Burgimagistri Rudolphi Stussij iniuriam infestus erat. Sed vbi Comes extinctus est, Tigurini ad rem attenti, plerosque Friderici subditos pertentarunt, nonnullos in fidem acceperunt, tantumque apud Elisabetham potuerunt, quia heredem credebant, vt in eorum se urbem receperit, quæ etiam petentibus, & omnia pollicentibus Comitatum Vtznacensem donauit. Id posteaquam Suitenses animaduenterunt, cum sibi haut parvam iniuriam fieri ab Tigurinis iudicarent, quo firmiores essent, Glaronenses in societatem adsciuerunt, & cum Toggenburgiensibus, & etiam Vtznacensibus, licet Elisabetha eos Tigurinis dedisset, perpetuam amicitiam, & societatem vt Comes monuerat, feriere. Ex hac contentione, dum alteri ab alteris in attrahendis, & conciliandis Comitibus subditis, iniuriam fieri sibi credunt, suscitatum bellum, quod multo sanguine, & vastitate plures per annos, non modo Heluetiam, sed vicinas quoque prouincias vehementer concussit, & attriuit. Fine eiusdem anni Sexti & tricesimi, abdicauit etiam sponte, accepta tamen pensione Fridericus episcopus. Sublectus Henricus IV. ex baronibus ab Heuue, Præpositus Constantiensis, & Argentinensis Ecclesiæ Decanus, præfuit annos xxvi. menses vi. qua tempestate, mortuo haut multo ante Al-

berto,

*A.D.N.*  
*CIO. CD.*  
*XXXVII.*

berto, rursus tres viui Constantiæ episcopi, Otho, Fridericus, Henricus. Henricus etiam Ecclesiam Curiensem administravit. Anni tricesimi septimi principio, Conuentus Cōfederatorum Lucernæ frequens habitus propter Suitensium & Tigurinorum dissidium. Multis vtriusque agitatibus cum arbitri vtriusque lecti de iure sententiam dixissent, secundum Suitenses litem iudicauerunt. Id multo acerbius tulerunt Tigurini, Confederatis contra nitentibus, vt iudicatio acquiescerent, & si quæ alia volunt, iure, non ferro disceptarent. Illi nihilominus armis quasituri, quæ iudicio amiserant, copias fecerunt, & inuente Maio, in Saragauenses quos Toggenburgensis pignore ab Austriacis possederat, & paullo ante, precio pignoris persoluto, Fridericus Austriæ dux senior sibi adseruerat, duxerunt, contra omnium Confederatorum voluntatem, arces Nidberg, & Freudenbergs ceperrunt, & diruerunt. Præsidia mox contra Suitios Feficone, & vicis lacus vicinis, & confinibus disposuerunt. Vtznacensibus verò, & Castrensibus comitatibus interdixerunt, Suitensibus non nisi certa conditione, & quantitate permiserunt. Suitenses, vice versa cum Tigurinorum facta omnia vim spectare perspicerent, militem etiam Vtznaci, & per Heremum collocarunt, qui limitem tuerentur, & propinquis Heremo, & Marchiæ locis auxilium ferrent, Tigurinos de iure certatum ex fœdere, quod perpetuum inter utrosque erat, ad Heremum prouocarunt, in fauorem quoque sui Sigismundum Imper. adduxerunt, qui literas ad Tigurinos dedit, quibus comitatum, & commerciorum prohibitionem improbabat, Agriæ proxima feriæ vi. post vincula Petri. Sed frustra hæc omnia fuere, Tigurinis insententia permanentibus, & iniuriam sibi fieri arbitrantibus. Pridie Kalend. Augusti facta interim Basileæ Sessio xxvii. & in ea Eugenius primo citatus additis causis, quod à se datas Bullas infregisset, decreta violasset, contra Concilij patres multa gessisset. At ipse abrogato penitus Basiliensi Concilio, Græcisque ad partes traductis, Concilium nouum Ferrariam indixit, xiv. Kalend. Octobris. Ob ea, & alia pluribus accusatū patres Basileæ, tamquam inobediētē, condemnarunt,



narunt, yti & Conciliū Ferrariense, Sessione xxviii. Kal. eiusdem mensis. Quinto Idus Decemb. insequētis vitam, & Imperium postremo exiit Imper. Sigismundus regni Hungarici li. Romani xxvii. Bohemi xviii. Imperij v. ætatis anno lxx. relicta vnica filia Elisabetha quæ Alberto v. Austriæ Duci nupta vtrumq; ad eum Bohemiæ, & Hungariæ regnum dotem portauit. Multo Sigismundū paterna vestigia sequutū fauore Heremitas, & in gratia peculiari nostra habuisse, quæ supra memorauimus, satis declarāt. Fuit sanè princeps optim⁹, rei q; Christianæ amantissimus, & studiosissimus. Anno tricesimo octauo, Concilij Basil. Patres Eugenij facta indignissimè interpretati, ipsum deniq; , tamquā contumacem, dignitate, & pōtificatu priuarunt, Nono kal. Febr. Sessione xxxi. Ipse cōtra, præsentē Græcorū Imp. Palæologo, & Constātinopolitano patriarcha Iosepho, Ferrariæ suū Cōcilium incepit, ingrediēte Martio, Basiliense iterum condānauit. Eodem tempore conuenerunt Francofurti Electores Albertumq; Austriæ ducem, & Hungariæ regē Sigismūdi generū Cæsarem salutarunt xiii. Kal. April. eius nominis secūdum. Sæuiebat prope vbiq; atrocissima fames, quæ infinitos mortales ad extrema perpulit. Repertos ferūt qui ex se procreatos liberos in partes dissecuerint, & sale in usum, cibumq; cōdierint, vbi proprij defecerūt, alienos ad eundē finem abriperint. Ea rerum inopia eo acerbius Suitēsēs, & Glaronēsēs contra Tigurinos exstimulauit, qui eos adhuc cōmeatibus priuatos retinebāt. Conuentum Rapersuillæ cū cæteri Confederati eam ob rem fecissent, quo etiā plures Imperialium Ciuitatum legati cōuenerant, & nihil effecissent, Cæsare Albertū impulerunt, vt ad Tigurinos grauiter scriberet, cōmerciorumq; in Imperio libertatē adfereret. Literæ eius datæ Pragæ feria v. ante D. Galli. Secutæ tū inter partes, ab quinto Kal. Nouemb. ad quintum vsq; Mal consequētis anni induciæ. Interea varij Conuentus agitati Bernæ, Lucernæ, in Heremo, qui vani omnes fuere, vtriusq; partis pertinacia, aut potius conciliantiū pusillanimitate, & fraude, modo Tigurinis, nunc Suitēsibus bona verba suggerentiū, & omniū rationes magis improbatium, quam alteru-

A. D. N.

CIC. CD.

XXXIX.

trius laudantium. Festo die D. Thomæ Apostoli, eiusdē anni octauī & tricesimi, mortē obiit abbas Burcardus, egregia sui fama, & memoria relicta. Nam & se tamquā rupes aduersus Suitsensium machinas à principio objecit, & contra id quod ab Sigismundo clandestino, & occulte obtinuerāt diploma aduocationis, se opposuit, perucitq; . Postremo æquissimis eodē deinceps conditionibus aduocatos sibi adsciuit, coluitq; : non minus sic quoq; ipse apud eos habitus in honore postea, & ueneratione. Priuilegiōrū uerò confirmationē nō modo apud Imperatorem procurauit, sed etiā pontifices Martinum, & Eugenium, ab hoc etiam nouam Bullam penitentiariam obtinuit. Publicas res Monasterij, & priuatas maxima cura administrauit, auxit, & decorauit. Aedē præcipue DEIPARE multa sacra suppellectile, cassolis, pluuialibus, aratū sacrarum paramētis, mitris, auro, & margaritis preciosis exornauit. Sacro fagum etiam argenteum fieri curauit, cui omnium Sancto- rum nomē fecit, & pluribus Diuūm reliquijs impleuit. Aedificauit utrumq; latus ambitus monasterij lapide quadrato. Fundamentū abbatiaē posuit & muris ad tectū perduxit. Partem etiā arcis & castri Feficonis instaurauit, quæ ab eo Vveissenburgēsis uocabulum retinuit. Præter mediam partē præfecturæ Eschētij, etiam emit palatium Surbsen se cum multis alijs, alijs in locis, possessionibus. Postremo quidquid antecessor numeratæ pecuniæ reliquerat, in hos, & alios Monasterij usus prudēter, & salubriter impendit, & absumpsit. Erat ex familia à Crenchingē, qui Vveissenburgū arcē tenuerunt, & baronum inde titulū sumserunt. Illud Castrum, haut procul Schaffhausia, in Comitatu Lacobrigensī situm, funditus euertit Rudolfus I. Imp. ob latrocinia, quæ inde frequentia, ut alijs ex locis, per ea tempora, fiebant, cum sex hebdomadas continuas obsidisset, anno Domini M. CC. LXXXI. retinuerunt tamen inde barones nomen, sicuti & iurisdictionem. Electus in Burcardi locum, mense Ianuario anni sequentis Rudolfus eius nominis III. ex Comitibus Saxi Mesauiciæ dominis qui tum Custodis munus obibat.